

PARS TERTIA.

PROPOSITIO SENSUS (PROPHORISTICA).

SECTIO PRIMA.

Species expositionis Scripturae.

§ 119.

Formae et dotes expositionis Bibliorum generatim.

1. — Duplex est interpretis munus: sensum invenire et proponere; inventionem ergo sensus sequatur oportet ejus propositio atque expositio. Diversae autem sunt *formae* seu *modi*, quibus sensus alicujus dicti, ergo etiam S. Scripturae exponitur, et quidem et quoad materiam et quoad dispositionem et quoad finem.

1. *Quoad materiam* interpretatio est aut *philologica* aut *logico-historica*. Prior nonnisi difficultates linguae solvit; posterior etiam contextum et res propositas explicat. Interpretationes philologicae sunt versio et glossa (sensu stricto accepta); logico-historicae sunt paraphrasis, scholion, commentarius etc.

2. *Quoad dispositionem* interpretatio fit *in textu* aut *extra textum*. In textu, scilicet explicationem verbis auctoris inserendo, aut extra textum, idest explicationem ad textum intactum in margine vel in calce paginae, vel post capita libri vel separatim addendo. Intra ambitum textus fiunt versio et paraphrasis, extra limites textus e. g. scholion, commentarius, tractatus.

3. *Quoad finem* interpretatio est *theoretica* aut *practica*, et utraque rursum *popularis* et *erudita*. Theoretica non vult, nisi docere sensum; practica autem affectus excitare, voluntatem movere et mores instruere intendit. Saepe tamen ambo fines junguntur. Utraque autem interpretatio est aut popularis, aut erudita, prout sensum pro cultura auditorum simpliciter propo-

nit, aut eum etiam disserit, argumentis probat ac defendit et consecutaria colligit. Interpretationes theoreticae populares sunt e. g. versio, paraphrasis, adnotationes, eruditiores sunt scholion et glossa, eruditissimae commentarius et tractatus; interpretatio practica est homilia.

2. — *Dotes* expositionis sensus sunt *fidelitas* et *perspicuitas*. Fidelitas in eo consistit, ut interpretes eum sensum, quem invenit, proponat, non autem novum sensum textui ingerat; non enim sua, sed auctoris cogitata sensaque proponere debet. Ex altera parte expositio perspicua sit oportet, quo sententia auctoris clare appareat. Si enim explicatio ipsa nova explicatione indiget, sensum revera non pandit, nec quidquam prodest.

§ 120.

Versio et paraphrasis.

1. — *Versio* est permutatio linguae orationis cum alia lingua. Plerumque eorum commodi causa fit, qui linguam originalem nesciunt. Est autem versio *immediata* et *mediata*. Illa e textu originali fluit, haec autem ex alia versione. Leges versionis, imprimis biblicae sunt sequentes.

1. Versionem oportet esse *fidelem*, non tantum in re, sed etiam in forma. Fidelitas postulat, ut praeter linguam nihil mutetur, nec in materia orationis, nec in forma. Versionis enim est, eam solam difficultatem tollere, quae ex lingua peregrina oritur, non autem alias.

Non licet ergo aliquid orationi addere vel demere, non novam ideam vel sententiam, nec proprietatem logicam vel aestheticam. Specialiter non licet stilum rhetoricum, characterem et colorem orationis, aetati, patriae, culturae, cogitandi ac loquendi modo auctoris proprium mutare. Interpretes stilum originalem imitari debet; nec ei licet elocutionem simplicem stilo eleganti, et sermonem grandem ac venustum oratione communi atque arida reddere. Hinc etiam tropi, figurae, forma poetica etc., quoad fieri potuerit, retinenda. Interpretes enim quasi personam auctoris sustinens, id dicere debet, quod auctor dixit, et sic dicere, ut auctor indolem cultumque suum servans, lingua versionis usus, dicturus erat.

Haec in quavis versione valent, sed maxime in versione S. Scripturae, in qua non tantum mutatio rei, sed aliquando etiam formae ac stili sensum depravaret, et orationem vi sua divina privaret. Ipsa

reverentia verbi Dei postulat, ut etiam ejus stilus, quantum fieri potest, retineatur. In versionibus ergo biblicis nimia barbarismi fuga et nimium puritatis linguae studium omnino reprobandum est. Minus malum est ut grammatica, quam dogma laedatur. Si qua difficultas manet, ea notis explicari potest. Ceterum multi hebraismi et alii idiotismi biblici in linguas gentium Christianarum jam pridem ita penetrarunt, ut non amplius pro barbarismis habendi sint.

Quae autem stili proprietates in linguam alienam transferri non possunt, e. g. paronomasiae, denominationes etymologicae (e. g. Dan. 13, 54—59. et Gen. 2, 23.), eae locutionibus, quae ad originales proxime accedunt, exprimendae sunt. Poëmata Hebraica non sunt simplici prosa nec facile versibus metricis aut similiter desinentibus (homoeoteleuto) reddenda; sed parallelismus et numerus membrorum, caesura, rhythmus et strophae servanda sunt.

2. Versio sit *perspicua*, idest naturae linguae novae congruens et facile intelligibilis. Sed non sit essentialiter clarior, quam textus originalis.

Perspicuitas postulat, ut versio sit vernacula, idest indoli novae linguae, quantum per fidelitatem licuerit, accommodata. Oportet ergo non tantum vocabula transferri, sed etiam proprietates grammaticas ac syntacticas mutari, utpote quae ad linguam, non ad argumentum orationis nec ad ingenium et stilum auctoris pertineant. Neglectus regularum novae linguae, versionem obscuram et asperam redderet. Barbarismis ergo grammaticis uti non licet, sed nova lingua pura adhibenda; quia etiam auctor si lingua versionis usus esset, eam sane bene tractare conatus esset. Attamen fidelitas versionis biblicae postulat, ut hoc puritatis linguae studium sit moderatum. Imprimis cavendum, ne pro vocabulis technicis in usum receptis voces puriores atque elegantiores at vagae vel ignotae supponantur.

Versio tamen non debet esse essentialiter clarior quam textus originalis. Ubi ergo textus originalis (plane consulto) obscurus est, vel sensum profundum habet, non licet sub praetextu perspicuitatis textum mutare vel ad eum aliquid addere; hoc enim esset paraphrasim scribere, non versionem, quod contra finem versionis est. Explicare non versoris est, sed exegetae. Praesertim in Bibliis versio explicans facile textum adulteraret et proprium interpretis sensum ei inferret.

Versio S. Scripturae est opus difficillimum. Interpres enim utramque linguam, originalem et versionis, perfecte sciat, et magna rerum antiquarum ac theologiae scientia instructus sit oportet. Praeterea fidem una cum perspicuitate servare, et etiam lingua idonea

atque emendata uti, maximam sane perspicacitatem artemque requirit. Ideo versio bona est rarissima.

Versio nimis atque inepte fidelis, quae verbis magis quam rebus inhaeret, perspicuitatem ac puritatem sermonis laedit, vocatur *verborum tenax* seu *servilis*. E contrario versio, in gratiam perspicuitatis fidelitatem negligens dicitur *libera*, quae si interpretis sententias vel conjecturas incertas textui ingerit, *audax* vocatur. Versiones Scripturae antiquiores plerumque sunt verborum tenaces et ideo nonnunquam obscurae, recentiores sunt liberiores, imo aliquando audaciores.

2. — *Paraphrasis* est explicatio sensus intra limites textus facta, quasi auctorem loquentem, suaque dicta pluribus et clarioribus verbis proponentem inducens. Non est mera interpretatio grammatica, sed etiam logica et historica; seu non solum difficultatem in lingua aliena sitam solvit, sed etiam obscuritatem e contextu et re ipsa ortam. Paraphrasis saepe operibus theologicis, commentariis, et homiliis sermonibusque inseritur.

Paraphrasim sicut versionem imprimis *fidelem* esse oportet, non ita, ut nihil ad textum originalem addat vel ab eo demat, sed eo sensu, ut essentiam ac vim orationis non mutet, seu sic aliter dicat, ut non dicat alia. Deinde paraphrasis debet esse *perspicua* et magis adhuc, quam textus originalis. Lingua ejus sit pura, et stilus auctoris ubi opus fuerit, moderate corrigatur et modernus efficiatur.

Specialiter paraphrasis *a)* novas cogitationes in orationem non addat. *b)* Notiones ac sententias ab auctore suppressas, quibus partes orationis connectantur, suppleat. *c)* Breviter dicta uberius enarret, aliquando etiam definitionibus et rationibus additis. *d)* Obscure dicta clarius dicat, vocibus, phrasibus et nexibus difficilioribus faciliores supponendo, notiones ac res ignotas illustrando et explicando. *e)* Hebraismos et alios idiotismos item tropos, ubi perspicuitas postulat, solvat. *f)* Colorem et vim orationis originalem sine necessitate non tollat. *g)* Paraphrasis non sit nimis prolixa ac verbosa, ne sensum superflua explicatione et contextus interruptione magis obscuret quam illustret, nec quasi scholia textui inserat. Non plus explicet, quam quod opus est, ut plana et expedita currat lectio.

§ 121.

Glossae, scholia et adnotationes.

Glossae, scholia et adnotationes sunt breves Scripturae interpretationes extra textum, ad lectionem expeditam reddendam, sine demonstratione saltem uberiore factae. Nomina eorum saepius permutantur. Hoc autem inter se differunt.

1. — *Glossae* voces et dictiones difficiliore (antiquiores, rariores, provinciales, technicas) philologice (rarius historice) explicant. Grammatici Alexandrini et oratores Latini eas introduxerunt. Sed paulo post glossae omnes explicationes praesertim breviores significare coeperunt, et medio aevo idem fere sunt ac commentarii. Scribebantur in margine, inter lineas, in calce paginae vel separatim, imo recentius etiam ordine litterarum dispositae. Corpus glossarum separatarum vocabatur glossarium, auctores autem earum et qui eas colligebant, glossatores.

2. — *Scholia* explicant difficultates etiam grammaticas (et lexicales), sed magis logicas atque historicas (etiam rhetoricas, archaeologicas et geographicas) eum ad finem, ut lectio sine impedimento currat. Sic autem vocantur, quia olim ad usum scholarum componebantur, non tantum ad S. Scripturam, sed etiam ad auctores profanos. Partim in margine, partim in calce paginae, partim separatim scribuntur. Scholia demonstrationem, saltem uberiolem et eruditam omittunt, et eorum usibus destinata sunt, qui textum in legendo intelligere, non autem ejus sensum doctrina arteque scrutari, nec doctas rationes quaerere volunt. Breves tamen demonstrationes, ad sensum communem accommodatae, praesertim ubi de rebus magni momenti, vel de locis non recte acceptis agitur, saepe utiles sunt. Imo nonnunquam breviores commentarii scholia dicuntur.

Notes scholiorum sunt *veritas*, *perspicuitas* et *brevitas*. Veritas, ut vera et certa dicant, perspicuitas, ut textum revera illustrent, et brevis, ne mentem lectoris a textu et argumento libri distrahan. Praemissa brevi introductione, scholia exhibent lectiones variantes sensum essentialiter mutantes, deinde explicant voces difficiles (e. g. obsoletas et obscuriores) et nexum implicatiorem, tum enarrationem proponunt rerum historicam, archaeologicam, geographicam, item locos parallelos et diversas opiniones; sed omnia nonnisi eatenus, quatenus ad locum intelligendum necessaria sunt.

3. — *Adnotationes* sunt scholia breviora, editionibus Bibliorum, praesertim in lingua vernacula factis, ad facilitatem utilitatemque lectionis et ad errores praecavendos adjecta. Adnotationes ergo semper textui S. Scripturae inhaerent, ejus additamenta sunt, et nunc in calce paginarum scribi solent. Adnotationes e SS. Patribus vel e commentariis catholicis depromi debent, praecipue in locis ad fidem moresque pertinentibus. Diversae sententiae praesertim minus probabiles omittendae, et ex ipsis probabilibus paucae, plerumque una optima et utilissima proponenda.

Interpretationes S. Scripturae, quae explanationes ex operibus Patrum et antiquorum interpretum collectas, per capita versiculosque dispositas, et tum ad verbum tum breviter citatas exhibent, medio aevo dicebantur *catenae* seu glossae continuae.

§ 122.

Commentarius et tractatus.

1. — *Commentarius* (sc. liber) vel *commentarium* (sc. volumen) est omnimoda, erudita et argumentis firmata interpretatio extra textum. Omnimoda est interpretatio, quia textum et sensum omni ex parte explicat et nihil (nullum versiculum et nullam rem), quod explicatione indiget, vel ad intellectum loci pertinet, sine interpretatione relinquit. Erudita est, quia omnibus scientiis: grammatica, historia, archaeologia, geographia, dogmatica etc. utitur ad textum explanandum. Argumentis firmata est, quia omnia sua dicta, nisi per se pateant, rationibus etquidem a propriis fontibus haustis confirmare debet, et contra difficultates atque objectiones defendere. Extra textum fit, quasi prolixissimae adnotationis instar, imo saepe dissertationis separatae, ad caput vel librum additae.

Commentarius tum ad singulos libros pertinet, tum in totam S. Scripturam extenditur. Sive textum originale, sive aliquam versionem, praecipue Vulgatam sequi ac interpretari potest. Commentarii saepe imperfecti sunt, certis lectoribus vel certo fini accommodati. Commentarius apud Patres Latinos vocatur explanatio, enarratio, tractatus; apud Graecos *ἐξηγήσεις*, *ὑπομνήματα*, apud Origenem *τόμοι*.

2. — *Argumentum et dispositio* commentarii perfecti est sequens.

1. Introductio in librum explanandum praemittitur, speciatim dissertatio de auctore, primis lectoribus, occasione, fine, tempore

et loco scriptionis, argumento et ejus dispositione, item lingua et stilo libri. Deinde auctoritas humana (authentia, integritas et fidedignitas) totius libri, et si in dubium vocata sit, etiam partium, tum auctoritas divina (inspiratio et auctoritas canonica) probantur ac vindicantur. Haec olim in limine commentariorum copiose exponebantur; nunc autem, quum introductio separatim tractatur, adumbratio horum plerumque sufficit.

2. Argumentum libri generale proponitur, liber dividitur et subdividitur, connexio, quasi filum sententiarum indicatur, et singulis capitibus imo majoris momenti pericopis summarium praemittitur. Deinde interpretatio textus ordine versiculorum suscipitur.

3. Cujusvis versiculi vel sententiae primo integritas critica examinanda, et quae sit lectio originalis vel saltem probabilis, ex argumentis externis internisque dijudicandum. Lectiones tamen valde improbabiles et nullius momenti negligendae; non enim apparatus criticus scribitur.

4. Versio (vel paraphrasis) loci proponatur, aut versio quae explanatur, si opus sit, corrigatur. Versio tractata cum textu originali semper comparanda est et differentiarum saltem majorum ratio habenda.

5. Sensus expressus cujusvis partis primo ex consuetudine sermonis, deinde ex contextu, tum ex conditione loquentis interna et externa, in quantum opus fuerit, quaerendus. Dubia si adfuerint, solvenda, incerta decidenda. Fontes autem argumentorum semper indicandi sunt.

6. Ubi variae interpretationes memoratu dignae existunt, eae cum suis argumentis perpendantur, quae aliis praeferenda videtur, approbetur, aut nova sententia proponatur, eo firmiter demonstranda, quo graviores rationes et auctoritates ceteris sententiis suffragantur.

7. Si auctores sacri inter se vel cum veritate naturali pugnare videntur, controversia secundum regulas locorum pugnantium componatur.

8. In Antiquo Testamento vaticinia et relatio typica, in Novo impletio prophetiarum indicentur, et harmonia utriusque testamenti ostendatur.

9. In rebus fidei et morum videat interpres, an interpretatio loci authentica (ecclesiastica vel tradita) existat; quae si deest, saltem analogia fidei consulenda, et sensus ex usu loquendi,

contextu et conditione loquentis inventus cum ea conferendus et ad eam exigendus.

10. Veritate exegetica demonstrata non est opus veritatem objectivam dogmatum probare (quod certe dogmatici est, non interpretis); in majoribus tamen commentariis saepe etiam objectiva dogmatum probatio locum habere potest.

11. Majores commentarii praeter sensum expressum etiam illatum proponunt, puta interpretationes accommodatas et mysticas usitatas atque utiles. Oportet autem significare, hos omnes veros sensus non esse.

12. E sensu invento consectaria theoretica et practica colligantur, et sensus in mores ac praxim applicentur.

13. Quaestiones maximi momenti et copiosius tractandae, ne ordinem orationis abrumpant ac conturbent, optime ex corpore commentarii separantur, et dissertationis (excursus) instar in fine libri explanati adduntur.

3. — Commentarium oportet esse:

a) *Fidelis* seu verum in sensu proponendo et in rationibus afferendis, vacuum ab omni sophismate et fallacia. Imprimis caveat interpres, ne dubia pro veris proponat, ne sensum obvium argutae, artificiosae, vel violentae interpretationis gratia derelinquat, neve graves difficultates dissimulet.

b) *Perspicuus* sit commentarius eo magis, quo est prolixior. Commentarius enim obscurus rem caligine obducit ac confundit, non autem illustrat, et ipse altero indiget commentario. (Supercommentarius) Maxime copia verborum superflua et longae digressiones in corpore commentarii vitandae.

c) *Completus* sit commentarius, idest omnia complectatur, quae sensum aliqua ex parte illustrant vel probant.

d) *Non sit nimis prolixus*. Res minutissimas ac superfluas omittat, res autem minoris momenti vel antiquatas leviter tantum perstringat.

e) Commentarius sit *novus et ingeniosus*, non tam in sensibus, quam in argumentis et conclusionibus. Cavendum tamen est, ne nova vocabula theologica sine justa causa inducantur; e. g. ne pro Verbo sermo, pro apostolo emissarius, pro presbytero senior dicatur.

4. — *Tractatus exegetici* (dissertationes, monographiae exegeticae independentes) sunt interpretationes eruditae atque argumentis firmatae locorum (sententiarum, pericoparum, vel capitum)

Scripturae singularium et graviorum extra textum. Sunt ergo quasi particulares commentarii. Loci ad quos hujusmodi tractatus pertinent, sunt magni momenti, difficiles vel acriter impugnati. Tractatus locum non solum explicant, sed etiam argumentis probant et defendunt. Prolixi sunt ac copiosi sicut commentarii, imo nonnunquam his ipsis prolixiores. Materia, dispositio et leges eorum eadem sunt ac commentarii, nisi quod tractatus rem suam non necessario ex omni parte pertractant, nec semper de versu ad versum procedunt.

§ 123.

Interpretatio practica.

Interpretatio Scripturae practica est illa, quae pietatem ac virtutem auditoris vel lectoris fovere intendit. Finis ejus est homines fidem ac mores docere, pios affectus excitare et voluntatem ad bonum movere. Doctrina practica e S. Scriptura collecta vocatur *sensus practicus*, qui potest esse expressus et illatus. Sensus hic practicus intuitu argumenti est *dogmaticus*, *moralis* et *anagogicus*, prout fidem, caritatem Dei et proximi operantem aut vero spem excitat.

Interpretatio practica est *erudita* et *popularis*. Prior ingenio et culturae doctorum, posterior menti simplicis plebis ac laicorum theologiae imperitorum accommodata est.

Utramque oportet esse *veram*, *perspicuam* et *ad animum commovendum aptam*. Inquisitio sensus erudita omittenda; conclusiones potius faciendae. Cavendum est, ne textui vis inferatur, et ne sensus accommodati ac mystici praevaleant.

Interpretatio practica tot habet *formas*, quot ipsa institutio religiosa. Formae istae ad tres revocantur, scil. ad formam catechesis, orationis et piaie lectionis. Forma oratoria est duplex: homiletica et systematica, et ipsa homilia est inferior et sublimior. Quae uberius tractare artis est oratoriae. Homiliae medio aevo etiam *postillae* vocabantur a formula exordii: *post illa verba S. Scripturae* scil. post pericopen praelectam. Postea hoc nomen etiam scholia et breviores commentarios significavit.

Homilia, quae partes S. Scripturae liturgicas, hodie lectiones et pericopas evangelicas interpretari solet, est forma exegesis et praedicationis frequentissimo Patrum usu sancita et aptissima. Homilia inferior breve exordium praemittit, plerumque a contextu vel occasione

narrationis evangelicae petitem. Deinde pericopen dividit, et per partes ac versiculos theoretice et practice explicat. In fine autem omnia comprehendit, conclusiones praesertim practicas facit et narrationem evangelicam in auditores applicat. Homilia superior argumentum pericopes explicandae una propositione complectitur, quam secundum regulas artis oratoriae dividit atque exponit, materiam et partes praecipuas ex ipsa pericope depromens, et ita hanc oratione systematica concepta explanans. Illae tantum pericopae homiliae superiori aptae sunt, quarum argumentum (*thema*) est unum. Per se intelligitur, materiam et formam, explicationem, argumentationem et elocutionem homiliae superioris esse doctiorem, quam inferioris.

S. Scriptura procul dubio uberrimus et optimus est fons orationis sacrae. Narrationes doctrinae plenas atque animos moventes, egregia virtutum ac vitiorum exempla, sententias ingeniosissimas, immensam troporum ac figurarum copiam S. Scriptura continet. Merito ergo Scriptura thesaurus oratoris Christiani habetur. Revera maximi oratores, e. g. S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Bernardus, Bossuet etc. quasi perpetui erant Scripturae interpretes.